



23

FACVLTATIS JVRIDICAE  
D E C A N V S,  
**HIERON. FRIDERICVS  
SCHORCH, JC<sub>TVS</sub>,**  
SACRI PALATII CAESAREI COMES,  
MEMORATAE FACVLTATIS ASSESSOR, ET  
IVRIS PVBLICI PROFESSOR ORDIN.  
NEC NON CIVITATIS  
CONSVL,  
L. B. S.

---

ERFORDIAE  
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,  
Acad. Typogr.

WEGEATATIS LAVRIDIÆ  
D E C A N V A  
HIERON. FRIEDERICAS  
SCHORCH. ICAR  
SACRI FALERNI CAESAREI COMES  
MEMORATÆ LACAIATATIS ASSERIOR ET  
VARIS PAVLICIS TRIBUS MUL. ORBIR  
NESC NON CIVITATIS  
CONVENTU

I. II.

TRADICIA  
TYPION CHRISTOPHORI HENRICI



**R**em alienam inuitio domino pignori dari non posse, certissimum esse dicitur in l. 6. C. § alien. res pignor. Is quippe, in cuius bonis res non est, non habet facultatem, creditori ius reale in illa constituendi, l. 54. D. de Reg. Iur. & actio hypothecaria cum effectu moueri nequit, nisi creditor probet, rem in bonis debitoris eo tempore, quo pignus contrahebatur, fuisse, l. 3. D. de pignor. idque adeo verum est, vt creditor, quamprimum rescivit, rem alienam sibi pignori suppositam, illico contra debitorem actione pigneratitia contraria experiri possit, vt res alia ipso detur, l. 9. pr. & l. 16. §. 1. D. de pignerat. act. vtut debitor soluendo sit, l. 32. D. eod. cum nihil plane egisse censeatur, qui rem alienam pignori tradidit, l. 2. D. eod. Vnde dubitatum quandam fuit, num pignus, siue res in securitatem crediti creditori tradita, ab hoc iterum alii oppignerari valide queat? Etenim cum pignus in bonis debitoris permaneat, iuxta

*l. 9. C. de pignerat. act. nihil etiam agi videtur, si creditor, in cuius dominio res oppignerata non est, eam inscio debitore, in cuius bonis est, alteri cuidam pignori dare praesummat. Sed nihilominus iam dudum placuit, etiam id, quod pignori obligatum est, à creditore pignori obstringi posse, l. 1. C. si pignus pign. dat.*  
*l. 13. §. 2. D. de pignor. & hypoth. Quamuis enim creditor rei sibi oppigneratae dominium non habet, sed illud penes debitorem maneat: in illa tamen ex voluntate debitoris in securitatem crediti sui ius reale consecutus est, l. 19. pr. D. de damn. infect. quod sicut aliis cedere & vendere, ita etiam oppignerare potest, l. 9. §.*  
*1. D. de pign. & hyp. quemadmodum etiam fructuarius proprietatem fundi non habet, & tamen usumfructum, sive potius commoditatem ususfructus rete pignori dat, l. 11. §. 2. D. eod. l. 72. D. de Reg. Iur. NOODT. de Uſufruct. L. 1. c. 3. Accedit, quod creditor nomen sui debitoris alii oppignerare queat, eamque conuentionem Praetor tueatur, l. 18. pr. D. de pignerat.*  
*act. l. 4. C. quae res pignor. oblig. & ita nihil impediat, quo minus & pignus in securitatem nominis constitutum Tertio rursus pignori obstringatur. Quoniam autem creditor pignus oppignerans ipsius rei dominium non habet, sequenti seu secundo creditori non directa actio hypothecaria, sed utilis datur, l. 1. C. si*  
*pignus*

*pignus pignor.* & ibi BRVNNEmann. n. 2. cumque ius  
creditoris oppignerantis per solutionem eius, quod ipsi  
debetur, tollatur, l. 6. pr. D. quib. mod. pign. vel hypo-  
thec. solv. vltro consequitur, quod tunc secundi quo-  
que creditoris ius expiret, vt pote qui caussam habet  
ab eo, cuius ius modo finitum est, l. 13. §. 2. D. de pi-  
gnor. Et hypoth. l. 2. C. si pign. pignori. hinc ei nec pigno-  
ris persecutio amplius datur, nec retentio relinquitur,  
l. 40. §. 2. D. de pignerat. act. licet secundo creditori à  
primo plus debeatur. BRVNNEmann. c. l. n. 11. Nisi  
forte secundus creditor debitori denuntiauerit ius sui  
pignoris, vtque ipsi, non primo creditori, solueret. l. 4.  
C. quae res pignor. oblig. & ibi GOTHOFR. lit. l. PE-  
REZ. in Cod. Tit. si pign. pign. n. 4. Quousque vero de-  
bitor creditori suo nondum satisfecit & proin primi pi-  
gnoris caussa durat, secundum etiam creditorem is, qui  
iura repraesentat, siue iudex tueri debet, ita, vt ius  
quoque rem oppigneratam distrahendi vendendique  
ab eo exerceri, & talis venditio, postquam semel fa-  
cta, à debitore, creditori primo pecuniam debitam of-  
ferendo, retractari aut rescindì non possit. l. 1. C. si pi-  
gnus pign. quanquam per solutionem antea factam ven-  
ditionem impedire, ac pignus liberare queat. Vbi  
quidem obseruandum, sufficere omnino, si debitor se-  
cundo creditori, pignus distracturo, tantundem offe-  
rat,

rat, quantum ipse primo debet, licet primus creditor secundo plus debeat; cum iniquum foret, si creditor primus, in maiorem summam pignus obligando, conditionem sui debitoris deteriorem facere posset. Quod & argumento l. 4. C. que res pign. obl. vberius confirmat BACHOV. de pignor. l. 2. c. 9. Sed haec latius persequi instituti ratio iam non patitur. Fusius de hac materia occasione l. 1. C. si pignus pign. quam in lectio, quam vocant, cursoria interpretari constituit, differet

NOBILIS ATQUE CLARISSIMVS IVRIVM  
CANDIDATVS

## DN. EHRENFRIED REINBOTH.

Natus is est Anno MDCCXIV. d. 4. Septembr. in quodam ditionis Schwarzburgicae oppidulo, quod vernacula audit Stadt- Ilm, Patre jo. EHRENFRIED REINBOTH, Medicinae Doctore & Practico. Per tractatis domi, vti & in Lyceo Arnstadiensi humioribus literis, Ienam se contulit, vbi vna cum Jurisprudentiae studio Philosophiae & disciplinis Mathematicis addiscendis operam nauauit, praceptoribus vhus & quidem in Philosophia B. KOEHLERO & viro prae nobili CARPOVIO: in Matheſi Celeb. HAMBERGERO: in Jurisprudentia B. BRVNQVELLO, BECKIO & Cel. KEMMERICHO. Cursu Academico absoluto, vocatus in

in Semigalliam (quae Ducatus Curlandiae prouincia est) in domo admodum illustri & opum gloriâ florentissima, Dni scil. de BEHR, studiorum & morum moderatorem egit, donec Petroburgum ad aulam D. ANNAE, Imperatricis Russorum, perduceretur, vbi posthaec infortunato Duci Curlandiae, ERNESTO, Comiti de BIRON, à secretoribus epistolis fuit: in qua functione stetit vsque ad magnam illam rerum commutationem, qua praefatus Dux, de regiminis & dignitatum fastigio deiectus, exul in Siberiae deserta missus est. Hac subitâ & terribili status conuersione perculsus quidem, non tamen prostratus, posteaquam ex turbidis tempestatis nubibus serena redire cooperat tranquillitas, diutius in ipsis terris commorari consultum non dicens, in Curlandiam reuersus, cum Nobili quodam huius regionis per Germaniam, Galliam & Belgium peregrinationibus feliciter factis, quietem & sedem Lipsiae inuenit. Denique ad supremos in Iure honores adsppirans, huc Erfordiam se contulit, & ab Ordine nostro, vt ad consueta specimina Inauguralia admitteretur, petiit. Itaque non solum binos ex utroque Iure textus cum eo communicauimus, verum etiam diem Examini Rigoroso praestituumus, in quo tam se praestit, textusque transmissos ita enucleauit, vt omnium suffragia meruerit, dignusque omnino iudi-

iudicatus fuerit, qui petitis honoribus condecoretur.  
Quamobrem proximo die Mercurii, d. II. Iun. con-  
fuetam lectionem ad l. l. C. si pignus pignor. eaque fini-  
ta Dissertationem Inauguralem

DE EO QVOD JVSTVM EST.

CIRCA

## DIGNITATES IMPERII CONFERENDAS,

sine Praeside habebit. Quibus aetibus solennibus ut  
Magnificus Vniuersitatis Rector cum Academiae Pro-  
ceribus ac Ciuiis beneuole interesse velint, ea qua  
decet, obseruantia & humanitate rogantur & invitau-  
tur. Publ. sub Sigillo Facult. Iurid. d. XXX, Mai.  
A. O. R. MDCCXLV.



L.S.

+

94 A 7372


ULB Halle  
001 681 94X

3





**Farbkarte #13**



23

FACVLTATIS JVRIDICAE  
DECANVS,  
**HIERON. FRIDERICVS  
SCHORCH, JC<sub>TVS</sub>,**  
SACRI PALATII CAESAREI COMES,  
MEMORATAE FACVLTATIS ASSESSOR, ET  
IVRIS PVBLICI PROFESSOR ORDIN.  
NEC NON CIVITATIS  
CONSVL,

L. B. S.

---

ERFORDIAE  
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,  
Acad. Typogr.

